

## DISSERTATIO SEPTIMA

DE ROMANI PONTIFICIS INFALLIBILITATE

(Vide Mazella : *de Rel. et Eccl.*, n. 1039... 1054.)

416. Cognita vi et extensione auctoritatis Papalis, perpendendum venit qualiter in ejusdem exercitio interveniat efficax sancti Spiritus assistentia, Romanum Pontificem ab omni errore immunem servans. Et primo, dicendum erit quomodo haec infallibilitas, juxta concilium Vaticanum, intelligenda sit; dein, argumenta quibus nititur erunt exponenda; demum, examinandum erit utrum competat Papae, quatenus est privata persona, aliqua in fide indefectibilitas. Erunt igitur tres quaestiones.

### QUAESTIO I<sup>a</sup>

Quomodo, juxta concilium Vaticanum, intelligenda sit infallibilitas Romani Pontificis?

417. Resp. 1<sup>o</sup> Ut infallibilitatis Papalis notio evadat clarior, praemittendum est quomodo, juxta Gallicanos, haec Romani Pontificis intelligenda erat praerogativa, in ordine ad dogmata infallibiliter definienda.

Porro, juxta Gallicanos, infallibilitas Papalis quoad hujusmodi causas consistebat, et quidem solum, in his duabus praerogativis nulli alteri episcopo competentibus, scilicet: 1<sup>o</sup> in eo quod haberet Papa potiores partes in causis fidei definiendis, et 2<sup>o</sup> in eo quod occuparet Sedem in fide indefectibilem.

1<sup>o</sup> Papam in causis fidei habere potiores partes

tenebant; quia, ex una parte, nulla definitio doctrinalis obligat, nisi huic suffragetur sententia Romani Pontificis; et, ex altera parte, ad illum pertinet jus edendi decreta dogmatica, quae necessario vim legis obtinebunt, et fient irreformabilia, modo pars major episcoporum non reclamet.

2<sup>o</sup> Papam occupare Sedem in fide indefectibilem, explicabant eo sensu, quod nunquam fieri posset ut Sedes Romana, sicut tot aliis Sedibus misere accidit, a centro unitatis evelleretur. Unde, quamvis aliquis Papa definiendo erraret, Sedes tamen immaculata permaneret. Distinguebant quippe Gallicani inter personam Pontificis et Sedem pontificiam. Persona Pontificis fuisset ipse Pontifex actu docens, Sedes autem, vel series Pontificum, vel Pontifex idem diu in eadem sententia perstans. Ergo, si Papa actu docens erraret, error non praevaleret apud ejus successores, imo nec diu perseveraret in eodem Pontifice, sed brevi, Ecclesia reclamante, emendaretur.

Itaque, juxta Gallicanos, decretum doctrinale Romani Pontificis *ex se* non foret irreformabile, sed tale fieret solummodo postquam major pars episcoporum, saltem tacite, annuisset.

418. Resp. 2<sup>o</sup> Doctrina catholica, sententiae Gallicanorum ex adverso opposita, tota continetur in Constitutione *Pastor aeternus*, quam Sess. IV. con. Vatic. evulgavit, et cujus sunt haec in cap. IV gravisima verba: « Itaque, nos traditioni a fidei christianae  
« exordio perceptae fideliter inhaerendo, ad Dei Sal-  
« vatoris nostri gloriam, religionis catholicae exalta-  
« tionem, et christianorum populorum salutem, sacro  
« approbante concilio, docemus et divinitus revelatum

« dogma esse definimus : Romanum Pontificem, cum  
« *ex cathedra* loquitur, id est, cum omnium Christia-  
« norum Pastoris et Doctoris munere fungens, pro  
« suprema sua Apostolica auctoritate, doctrinam de  
« fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam  
« definit, per assistentiam divinam ipsi in B. Petro  
« promissam, ea infallibilitate pollere, qua divinus  
« Redemptor Ecclesiam suam, in definienda doctrina  
« de fide vel moribus, instructam esse voluit; ideoque  
« ejusmodi Romani Pontificis definitiones *ex sese*, non  
« autem ex consensu Ecclesiae, irreformabiles esse.  
« — Si quis autem huic nostrae definitioni contra-  
« dicere, quod Deus avertat, praesumpserit : ana-  
« thema sit. »

Ex his verbis edocemur infallibilitatis Papalis 1° sub-  
jectum, 2° conditiones, 3° naturam.

### I. De subjecto infallibilitatis Papalis

Infallibilitatis subjectum est Romanus Pontifex *cum ex Cathedra loquitur*, seu, Papa actu docens. Ergo non est Sedes Romana, neque persona moralis ex Summo Pontifice et episcopis, aut ex eodem et sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, aliisque quibuscumque constans.

### II. De conditionibus infallibilitatis Papalis.

Illae conditiones, juxta conc. Vatic., desumuntur aliae ex parte personae definiens, aliae ex parte objecti definiti, aliae ex parte actus quo definitur.

1° *Ex parte personae definiens*, necessarium est ut Papa loquatur *omnium Christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens*. Romanus enim Ponti-

fex potest fungi, aut munere christiani privati, dum, v. g. erga pauperes pietatis officia exercet; — aut munere doctoris privati, dum, v. g. naturali studio veritatem inquirat vel scriptis theologicis explanat; — aut munere principis, dum temporali Status Pontificii felicitati providet; — aut munere episcopi localis, quo Romanam dioecesim gubernat. Jam vero, in his exercendis muneribus, infallibilitate non gaudet; sed solummodo ubi loquitur tanquam universae Ecclesiae Primas, id est, tanquam omnium Christianorum Pastor et Doctor.

2° *Ex parte objecti definiti*, necessarium est ut sit doctrina *de fide vel moribus*, nimirum, aliqua veritas revelata, sive speculativa, sive practica, aut aliquid cum revelatione connexum, prout jam vidimus ubi de infallibilitate Ecclesiae. De caetero, conc. Vatic. aperte declarat Papam *ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam, in definienda doctrina de fide vel moribus, instructam esse voluit*.

3° *Ex parte actus*, necessarium est ut Romanus Pontifex, *pro suprema sua Apostolica auctoritate, doctrinam ab universa Ecclesia tenendam definiat*. Papa enim, etiam tanquam omnium Christianorum Pastor et Doctor, nonnunquam potest aliquid simpliciter asserere, aut commendare, aut explicare; potest etiam rationum momenta tradere, sed non definiendo, seu, finaliter determinando, et auctoritative imponendo id quod asserit aut commendat, vel explicationes aut rationes quas profert. Hinc, in ipsismet dogmaticis Constitutionibus, non omnia quae affirmantur sunt definita.

Cum autem doctrina obligatorie tenenda eadem esse debeat pro omnibus, ideo Papa non est censendus definire, nisi intentionem obligandi universam Ecclesiam manifestaverit. Quae intentio dignoscitur, tum ex verbis quibus utitur, tum ex decreti destinatione, ubi, videlicet, dirigitur ad omnes, aut ad unum vel aliquos ea manifesta mente ut ad omnes perveniat. Proinde Epistola Papae directa ad episcopos alicujus provinciae particularis, si ipse hanc pro omni Ecclesia non evulget nec curet evulgari, non videtur esse decretum dogmaticum irreformabile, sed assimilanda est instructionibus episcopalibus circa fidem, quae venerationem sane merentur, *ex se* autem ad assensum internum non cogunt.

Utrum aliae conditiones, praeter assignatas, requirantur ad decretum ex cathedra? Negandum est omnino. Concilium enim Vatic. post haec verba: *Romanus Pontifex, cum ex cathedra loquitur*, addendo: *id est*, satis indicat se velle determinare in quo consistat decretum *ex cathedra*. Nisi ergo pervertatur definitio Vaticana, aliae conditiones de quibus tacet, non sunt exigendae. Tenetur equidem summus Pontifex, priusquam definiat, mature procedere; sed nunquam adversus ejus sententias doctrinales quis insurgere poterit, allegando defectum sufficientis examinis, sicuti jam diximus ubi de infallibilitate Ecclesiae.

### III. De natura infallibilitatis Papalis.

Pronuntiat conc. Vatic. hanc Papae infallibilitatem haberi *per assistentiam divinam ipsi in B. Petro promissam*. Est igitur donum supernaturale, et gratia gratis data. Nam sequitur promissionem divinam, et

communicatur cum primatu B. Petri, propter bonum Ecclesiae, independenter a sanctitate accipientis.

Insuper, idem concilium addit hanc infallibilitatem eam esse, qua *divinus Redemptor Ecclesiam suam... instructam esse voluit*. Equidem non decernit utrum Ecclesia docens sit infallibilitatis subjectum diversum a Papa; affirmat tamen infallibilitatem Papalem esse saltem ejusdem speciei ac infallibilitatem Ecclesiae. Non est igitur effectus revelationis aut inspirationis, sed auxilium efficax quo Deus omnem a decreto Pontificio errorem amovet.

Ex dictis merito infert Conc. Vatic., *Romani Pontificis definitiones, ex sese, non autem ex consensu Ecclesiae, irreformabiles esse*. Non quod adhaesio Ecclesiae, saltem consequens, deesse possit, cum Ecclesia adhaesionem negando deficeret, sed quod expectandus non sit ille consensus, ut judicetur decretum Pontificis esse irreformabile, proindeque tenendum tanquam regulam credendi cunctos obligantem Christianos.

Hinc, praerogativa haec infallibilitatis est: a) *personalis*, seu, competens episcopo Romano, quatenus successori B. Petri, nec alteri communicabilis est; b) *independens*, non quidem a Christo et a Spiritu sancti influxu, sed a qualibet alia auctoritate creata; c) *absoluta*, non sane hoc sensu quod Papa possit definire quidquid ipsi placeat; sed quod ipsi loquenti *ex cathedra* nulla imponatur conditio ut infallibiliter definiat; d) *competens Papae se junctim ab Ecclesia*, quia Papa solus pronuntians omnes alios, tum fideles tum pastores, obligat.

QUAESTIO II<sup>a</sup>

Utrum invicte constet Romani Pontificis ex cathedra loquentis infallibilitas?

(Vide Mazella : *de Rel. et Eccl.*, n. 1056... 1095. — Knoll : *Theol. gen.*, § 230.)

419. Resp. Videri potest quod non.

Etenim 1<sup>o</sup> Christus non aliam B. Petro magisterii praerogativam promisit et contulit, ac eam quae sola, de facto, per novem et decem fere saecula, Ecclesiam in unitate fidei retinuit. Atqui, usque ad definitionem Vaticanam, seu, per decem et novem circiter saecula, Ecclesia suam in fide unitatem ab infallibilitate personali Romani Pontificis non mutuata est; siquidem haec infallibilitas nondum erat de fide, et ideo cuique licebat dogmaticis decretis Romani Pontificis irrettractabilem assensum non praebere, priusquam accessisset Ecclesiae consensus. Ergo, ad soliditatem Ecclesiae satis fuit Papam habuisse, in quaestionibus fidei, potiores partes, ejusque Sedem fuisse indefectibilem, uti explicabant Gallicani. Ergo non alia magisterii praerogativa realiter exprimitur in verbis Christi B. Petro hanc promittentis et conferentis.

2<sup>o</sup> Praeterea, Patres et Doctores non extollunt magisterium Papae, nisi ratione sedis quam occupat, et saepe saepius directe de sola Sede aut de Ecclesia Romana sermonem habent. Unde, sufficienter verificantur de Sedis ipsius indefectibilitate a Gallicanis admissa, et hoc optime consonat S. Leoni Papae dicenti (Ep. 106, n<sup>o</sup> 5) : « Aliud sunt Sedes, aliud praesidentes. »

3<sup>o</sup> Praeterea, Patres concilii Ephesini examini subjecerunt definitiones S. Coelestini Papae contra Nestorium ; et Patres concilii Chalcedonensis, definitiones S. Leonis contra Eutychianos. Atqui iudicium irreformabile non potest iterato examinari.

4<sup>o</sup> Praeterea, necessaria sunt aliquando concilia oecumenica. Atqui, posita infallibilitate Papali, nunquam essent necessaria, siquidem Papa solus omnes controversias dirimere posset.

5<sup>o</sup> Praeterea, si Romanus Pontifex ex se solo sit infallibilis, cum concilium oecumenicum, fatentibus omnibus, errare nequeat, sequitur duas esse supremas infallibiles potestates in rebus fidei et morum ; et hoc repugnat.

6<sup>o</sup> Praeterea, episcopi, ut infra dicemus, sunt *judices nati* controversiarum fidei. Sed tales non essent si Papa, absque illis pronuntians, gauderet infallibilitate,

7<sup>o</sup> Praeterea, de facto constat nonnullos Pontifices errasse circa fidem ; inter quos duo potissimum citantur, scilicet : Liberius qui subscripsit formulae Sirmiensis a Semi-Arianis probatae, et Honorius qui, suis litteris ad Sergium patriarcham Constantinopolitanum, errorem Monothelitarum professus est.

420. Sed contra dico : *Romanus Pontifex ex cathedra loquens est infallibilis, ejusque ideo definitiones, ex sese, non autem ex consensu Ecclesiae, sunt irreformabiles.*

Prob. 1<sup>o</sup> *Conciliorum definitionibus.*

Praeter definitionem Vaticanam, quae hanc infallibilitatem inter dogmata de fide credenda reposuit, alias juvabit afferre ab eodem concilio allegatas, nimirum :

1° Concilii Constantinopolitani IV, oecumenici VIII, in quo solemniter est edita fidei professio S. Hormisdæ Papæ, jam antea, anno 515, ab episcopis orientabilibus subscripta. Cujus professionis verba hæc sunt : « In Sede Apostolica, immaculata est semper conservata religio..., in qua est integra et vera christianæ religionis soliditas. » Si *immaculata semper*, ergo nullo nec etiam transitorio errore maculata est. At hæc præservatio non est simpliciter factum, sed habet rationem juris ; siquidem exinde proveniat quod in Sede Apostolica sit *integra et vera christianæ religionis soliditas*. Integra enim, seu, tota religionis soliditas in Sede Apostolica non consisteret, si deberet oriri ex corporis pastorum magisterio, ut voluerunt Gallicani.

2° Concilii Lugdunensis secundi, quod de Ecclesia Romana primatum tenente ait : « Si quæ de fide subortæ fuerint quaestiones, suo debent iudicio, definire. » Sed quaestiones de fide, semel prolato Papæ iudicio, non essent vere definitæ, posito quod expectandus esset adhuc Episcoporum assensus.

3° Concilii Florentini docentis : « Pontificem Romanum omnium Christianorum patrem ac doctorem existere, et ipsi in B. Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam, a Domino Jesu Christo plenam potestatem traditam esse. » Porro plena non esset Papæ, quatenus omnium Christianorum doctoris, potestas, si ad obtinendum a fidelibus assensum irretractabilem, indigeret compleri per episcoporum adhaesionem.

Prob. 2° *Scriptura sacra.*

1° Verba Christi : *Tu es Petrus, et super hanc*

*petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalent adversus eam* (Matth. xvi, 18), duo significant : 1° Ecclesiam aedificandam esse super Pontificem Romanum ; 2° portas inferi adversus eam nunquam praevalere. Porro, si aliquando erraret Papa loquens *ex cathedra*, unum ex his deficeret. Nam, vel Ecclesia obsequium denegaret, vel assentiretur. In primo casu, non communicaret cum suo fundamento, sed per se staret, ac proinde non aedificaretur supra Petrum ; in secundo casu, deficeret in fide, ac proinde adversus eam infernus praevaleret.

2° Verba Christi : *Quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in coelis* (ibid.), tria includunt : 1° jus imponendi quodcumque vinculum bono Ecclesiae necessarium, ideoque decreta doctrinalia ; 2° jus edendi decreta doctrinalia quæ semper erunt ab omni errore immunia, secus non rata haberentur in coelis ; 3° jus demum omnes hisce decretis obligandi, independenter a cujuscumque alterius suffragio, cum verbum *ligaveris* referatur ad Petrum solum, prout a caeteris Apostolis distinctum. Atqui talis est præcise infallibilitatis prærogativa, quam Romano Pontifici contendimus esse adjudicandam.

3° Verba Christi ad Petrum : *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua ; et tu aliquando conversus confirma fratres tuos* (Luc., xxii, 32), juxta omnes, promittunt Petro et ejus successoribus, hanc in fide firmitatem, qua possint confirmare fratres suos, scilicet, episcopos. Atqui definitio doctrinalis erronea non est apta ad confirmandos fratres ; sed potius, hæc posita, Pontifex ab episcopis, seu, fratribus reclaman-

tibus, indigebit confirmari. Quinimo, definitio doctrinalis, etiam vera, quae non obligaret nisi post adhaesionem episcoporum, male diceretur confirmans episcopos in fide, cum ab ipsis vim suam definitivam acciperet.

4<sup>o</sup> Verba Christi ad Petrum : *Pasce agnos meos, pasce oves meas* (Joan., XXI, 15, 16, 17), ipsi Petro et proinde ejus successoribus conferunt jus pascendi pabulo doctrinae universum gregem ; cui juri respondet in omnibus agnis et ovibus obligatio pabulum illud reverenter suscipiendi. Atqui jus pascendi pabulo doctrinae universum gregem, est jus definiendi doctrinam ab omnibus tenendam, ac proinde proferendi decreta doctrinalia etiam circa veritates nondum definitas, quia id saepe necessarium est bono gregis universi. In hoc ergo differt auctoritas pastoris, cui totus grex christianus committitur, ab auctoritate pastoris qui partem tantum aliquam gregis pascendam habet. Cum enim fides eadem esse debeat in omnibus fidelibus, hinc quidquid jure definitur credendum, pro omnibus definiatur necesse est ; et ideo episcopi singuli non possunt a subditis exigere assensum internum veritatibus nondum definitis ; Papae vero competit novos fidei catholicae articulos condere, quibus et fideles et pastores praestare tenentur mentis obsequium. At, si creditum fuisset Gallicanis, ante suffragium majoris episcoporum partis, nullus ad obsequium mentis praestandum obligari tenendus fuisset, et ideo non fuisset in Papa plena potestas pascendi universum gregem.

Prob. 3<sup>o</sup> *Traditione.*

Duplex argumentum ex Traditione afferri potest.

1<sup>um</sup> **Argumentum** eruitur ex Patribus, quorum

testimonia magno eruditionis apparatu collecta videre est apud P. Schrader (De Unitate Rom. p. 2). Brevitatis causa, notabimus testimonia Patrum reduci posse ad triplicem classem :

1<sup>a</sup> *classis* est eorum qui textum : *Tu es Petrus...* interpretantur dicendo non magis adversus petram quam adversus Ecclesiam portas inferi praevalere posse ; et imo soliditatem Ecclesiae a soliditate Petri provenire, aut soliditatem petrae a Petro ad ejus successores transiisse.

2<sup>a</sup> *classis* est eorum qui, textum : *Rogavi pro te...* explanantes, extollunt hujus orationis efficaciam, vi cujus per Petri successores debellati fuerint omnes errores.

3<sup>a</sup> *classis* est eorum qui necessitatem communionis cum Romana Sede praedicant. Inter quos, coronidis gratia, citare sufficiat toties celebrata S. Augustini verba in causa Pelagianorum (Sem. 131. n. 10) : « Redarguite contradicentes, et resistentes ad nos « perducite. Jam enim hac de causa duo concilia « missa sunt ad Sedem Apostolicam ; inde etiam « rescripta venerunt. Causa finita est, utinam ali- « quando finiatur error ! »

2<sup>um</sup> **Argumentum** eruitur ex Romanorum Pontificum praxi. Historia enim testatur eos sibi constanter infallibilitatis privilegium vindicasse, et in hoc plerosque Ecclesiae pastores consentientes habuisse. Quoties, videlicet, sua doctrinalia decreta ad omnes fideles omnesque episcopos direxerunt, nunquam postulaverunt episcoporum adhaesionem, quasi esset necessaria ut haec robor suum definitivum acciperent ; sed stricte jusserunt ut parerent omnes, et saepius

etiam sub excommunicationis poena; episcopi vero passim hisce decretis cum summo mentis obsequio sese submiserunt, nec sibi jus ea examinandi ac iudicandi arrogaverunt.

Prob. 4<sup>o</sup> *Ratione.*

Papa est centrum unitatis fidei, centrum autem illud debet esse facile cognitu et obvium. At, si non posset ad unitatem fidei per sua decreta omnes efficaciter cogere, nisi postquam major episcoporum pars, saltem tacite, annuerit, non esset centrum unitatis facile cognitu et obvium. Ubi enim in universis mundi partibus episcopi disseminantur, quomodo scire poterunt fideles decreta Papalia ad omnes pastores pervenisse, illos habuisse facultatem reclamandi et non reclamasse? Quod si aliqui reclamant, quomodo fidelibus constabit caeteros assentientes in majori esse numero? Et quid tempore perturbationum, quando impii conabuntur decretorum publicationem et expeditionem impedire, aut falsos reclamationum rumores spargere? Ergo.

Sic igitur respondendum ad ea quae opponuntur n. 419.

421. *Ad 1.* Duo in objectione assumuntur quae sunt falsa.

1<sup>o</sup> Etiam si, de facto, unitas fidei per plura saecula procurata fuisset alio medio ac infallibilitate personali et separata Romani Pontificis, falsum est hanc praerogativam non fuisse a Christo Papae concessam. Certum est enim, semel definita hac infallibilitate, efficacius per eam procurandam esse fidei unitatem. Atqui hanc majorem efficaciam Christus optime potuit sibi proponere pro temporibus subsequendis et periculosioribus.

2<sup>o</sup> Falsum est de facto, independenter ab infallibili-

tate Papali, procuratam fuisse Ecclesiae in fide unitatem. Hac enim infallibilitate factum est Pontifices Romanos nunquam in suis decretis ex cathedra prolatis errasse, quod sane multum profuit ad praeveniendas episcoporum reclamationes, et Capituli a corpore separationem etiam momentaneam. Praeterea, omni tempore communiter apud ipsosmet episcopos praevaluit doctrina de hac infallibilitate, ideoque securius et promptius obtenta fuit Christianorum decretis Papalibus submissio.

422. *Ad 2.* Distinctio inter Sedem Apostolicam et singulos in ea sedentes, sensu Gallicanorum intellecta, arbitraria est et hucusque inaudita. Omnes enim, juxta communem loquendi modum, credunt nullam dari distinctionem inter privilegia Sedi annexa et privilegia sedentium. Sic v. g. jura solii regalis et jura regnantis non differunt. Re quidem vera, aliqua agnoscitur differentia inter jura sedentis et personam sedentem, sed sensu prorsus diverso a sensu Gallicanorum, nempe: jura sedis pertinent sedenti, non quatenus est persona privata, sed quatenus occupat talem Sedem; et ideo, licet a Sede sua cadat, jura tamen Sedis manent in ejus successore. Ex quo sequitur personam sedentem posse, ob crimina, a Sede deponi, Sedem vero juribus suis non ideo spoliari. Et in hoc sensu S. Leo a Gallicanis perperam allegatus, dixit: « Aliud sunt Sedes, aliud praesidentes. » Intendebat enim probare Alexandrinam Sedem, propter crimina Dioscori depositi, non potuisse amittere dignitatem qua erat secunda post Romanam; et sic repellere Anatolii episcopi Constantinopolitani ambitionem hunc gradum sibi attribuere volentis.

423. *Ad 3.* Duplici modo iudicium aliquod potest iterum ventilari : 1° ad videndum an male aut bene iudicatum sit, et ad cassandum vel confirmandum iudicium; 2° ut, supposita iudicii veritate, melius ostendatur ejus legitimitas, solemnius promulgetur, et ad executionem deducatur efficacius. Jam vero, attente legenti acta conciliorum Ephesini et Chalcedonensis, nihil occurret quod alium finem arguat ac definitiones Pontificias melius explicare ac vindicare.

De caetero, hae definitiones jam in tota Ecclesia receptae fuerant. Ergo, etiam juxta principia Gallicanorum, haberi debuerunt ut irreformabiles etiam ante inquisitionem a conciliis factam. Denique, nonne Tridentina synodus plura tractavit ac definivit quae jam ab aliis oecumenicis definita fuerant?

424. *Ad 4.* Concilia oecumenica non sunt absolute et stricte necessaria ad controversias fidei dirimendas, sed aliquando et moraliter tantum, ut infra explicabimus. Insuper, Gallicani ipsi agnoscebant Ecclesiae dispersae infallibilitatem. Ergo, si valeat objectio, concludendum erit concilia generalia non esse congreganda. Eorum responsio nostra erit.

425. *Ad 5.* Concedi potest, quamvis non sit certum, duplex esse subjectum supremae potestatis in rebus fidei et morum, videlicet : Papam solum et concilium cum Papa assentiens; negatur autem haec esse duo subjecta adaequate distincta; corpus siquidem pastorum, cui Christus contulit potestatem supremam, non est distinctum adaequate a Papa, qui est illius pars *essentialis*. Atqui duo subjecta hujusmodi simul existere non repugnat, quia nunquam inter illa dari poterit pugna et contradictio.

426. *Ad 6.* Episcopi non sunt necessarii fidei iudices, cum causae fidei omnes a Papa sine illis definiri valeant. Sed una cum Papa esse possunt iudices subordinati, quatenus cum Papa concurrunt ad sententias dogmaticas ferendas, quod infra explicabitur ubi de conciliis.

427. *Ad 7.* Neque lapsus Liberii, neque lapsus Honorii cum fundamento obijciuntur.

1° De Liberio, gravissimi auctores dubitant an revera subscripserit formulae Sirmiensi. At, hoc dato, non est lapsus circa fidem, siquidem formula Sirmiensi, cui subscripsisse dicitur, erat orthodoxa, et in hoc tantum reprehensibilis quod illi deesset vox *consubstantialem*. Dato autem hunc Papam circa fidem lapsum esse, nihil inde contra nos, quia Liberius vi coactus est.

2° De Honorio, multi et magni ponderis auctores asserunt, ex duabus litteris ipsi attributis, unam fuisse interpolatam, et aliam a Monothelitis confectam. Sed, quamvis forent authenticae, traduci nequeunt uti continentes errorem circa fidem; quia aperte duplicem Christi operationem profitentur, et negant solum dari in eo, sicut in nobis, duas voluntates inter se pugnantibus ob peccati fomitem. Quibus adde has litteras non fuisse definitiones dogmaticas ad universam Ecclesiam directas, sed ad unum Sergium transmissas esse et diu mansisse occultas. Demum posito, quod a nonnullis negatur, Honorium fuisse in sexta Synodo generali damnatum ut haereticum, id unum sequitur: illum in hoc peccasse, quod non satis firmiter haeresim impugnaverit. Tunc enim haeretici vocabantur qui haeresi simpliciter favebant; favit autem haeresi



Honorius, eo quod in suis litteris hortatus fuerit abstinere a dicendo Christum unam vel duas habuisse operationes.

QUAESTIO III<sup>a</sup>

Utrum Pontifici Romano, quatenus est persona privata, aliqua conveniat in fide indefectibilitas?

428. Resp. Quamvis, ex omnium confesso, Romanus Pontifex, quatenus est persona privata, errare possit, multis tamen videtur fieri non posse quod fiat haereticus *formaliter*, seu, quod contumaciter articulum ab Ecclesia definitum renuat credere; et haec opinio est vere probabilis.

Etenim, prorsus incongruum videtur Deum, ad Ecclesiam suam regendam et in unitate fidei continendam, uti Papa formaliter haeretico. Atqui probabile est Papam formaliter haeticum non ideo a Papatu removendum fore. Ergo, si fieret Papa haereticus formaliter, Deus eo uteretur ad Ecclesiam suam regendam et in fidei unitate continendam. Sola minor probatione indiget; probatur autem sic:

Si, ob haeresim formalem, Romanus Pontifex a Papatu amovendus foret, vel ipso facto Pontificatu privaretur, et ita sentiunt multi theologi, addentes tunc expectandam esse Ecclesiae sententiam declaratoriam; vel, ut malunt alii, per sententiam judicariam esset deponendus. Atqui probabile est nullo ex his duobus modis Papam, etiam formaliter haeticum, a Pontificatu amoveri posse.

Non priori modo, seu, ipso facto, amoveretur. Etenim, caeteri episcopi, statim atque fiunt haeretici formales, ipso facto a pontificio munere et a sua juris-

dictione non privantur, donec Ecclesia eos condemnaverit; et interea vim suam sortiuntur ea quae agunt ratione muneris sui publici. Ergo idem foret dicendum de Papa formaliter haeretico.

Neque prodest objicere hunc Papam jam non esse membrum Ecclesiae, ac proinde non posse habere rationem Capitis. Licet enim haereticus formalis non sit Ecclesiae membrum, quoad vinculum communionis in ejusdem fidei professione, nihil vetat quin remaneat Ecclesiae caput, quoad influxum et officium. Ergo Papa formaliter haereticus ipso facto a Pontificatu non amoveretur.

Neque amoveretur posteriori modo, seu per sententiam Ecclesiae judicariam. Papa enim, remanens Papa, habet immediate a Christo jurisdictionem super universam Ecclesiam, proindeque nullus est superior qui ipsum judicare possit. Respondent qui aliter opinantur, Christum pro eo casu jurisdictioni Papali limitationem apposuisse, ne multa in Ecclesia incommoda nascerentur. At reponere licet, de hac limitatione non constare certo, ex quo sequitur dubiam fore praefatae sententiae judicariae validitatem, et remedium inde fieri insufficiens. Ergo, propter magna et multa incommoda quae allegantur, multo satius est opinari Deum Papae hanc concessisse praerogativam ut nunquam, tanquam persona privata, fieret haereticus formalis. Et libenter crederemus illud indicari privilegium his Christi verbis ad Petrum: *Rogavi pro te ut non deficiat fides tua.*